

ni Præpositus Ecclesiastici præconiî curam & sumtus Lipsiæ sustinebat. Legati itaq; Principis ut eo jure duci Heinricho cederet, cum Præposito jam antè egerant, quod cum postea urgerent, & Senatus contra more nominationis in Ecclesia approbato interetur; tandem de hac controversia inter utrosque, quoad princeps aliud constitueret, ita convenit, ut Antistitem sacrorum solus crearet princeps. Is deindè Antistes re cum Senatu communicata deliberataquè viginti quatuor pios & eruditos collegas sibi cooptaret, & si qua fortè dissensio inter Antistitem & Senatum electionis causa commoveretur, ea principis arbitrio dirimeretur.

§ 36. Post mortem Ducis Georgii antè etiam quàm legati Lipsiam pervenirent, Senatus Casparum Crucigerum, & Fridericum Myconium Vitebergâ, Johannem Pfeffingerum Belgerâ, ut sacras conciones ad plebem haberent, evocaverat. Placuit itaque tum ut à Calend. Septembr. usque ad Bacchanaliorum diem Doctores isti Lipsiæ rem Ecclesiasticam administrarent, donec Dux Heinrichus Antistitem aliquem constitueret, cui sacrorum apud Lipsienses summa committeretur. Ac-

cerfi-